

rotulam, & inscribe omnia sicut posita superius figura planissi-
me te docet, & sicut etiam de postica Astrolabij præcipitur.

Quia uero eclipticæ rotula correspondere debet cœlesti ec-
clipticæ, necessario utiq; duæ tabulæ, ut uocant, mensales facien-
de ueniunt, quæ eandem eclipticæ tabulam ab Aequinoctiali
signifero, ad maximam Solis obliquationem, declinent, quate-
nus principium Cancrî in eminentia constitutum uideatur,
principium uero Capricorni in imo iacere cognoscatur iuxta
eclipticæ cœlestis uerissimum situm. Fiunt autem prædictæ
tabulæ in hunc, qui sequitur, modum: Duc quopiam in loco pla-
no, circumferentiam quandã, unã cum diuisionibus suis, quem
admodum in primo dogmate sufficienter disputatum est. De-
inde pone unam regulæ extremitatem directe super loco 90
graduum, id est, ad leuam, ubi diametrus eandem circumferen-
tiam attingit. Reliquam uero regulæ extremitatem dirige recte
ad maximam Solis declinationem, quæ reperitur tempestate
nostra 23 graduum, 30 minutorum, ducendo lineam rectam.
Hinc quicquid extra hasce duas apparuerit lineas rectas, peni-
tus abijce, & sic uere habebis illas, quas uocât, Mensales tabu-
las. Huius accipe hanc formationem.

